

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0359

0357

0363

0353

0368

0348

0408

0308

0458

0258

0858

346

numquam viderant mortuum, et filium pium et sanctam respiciunt (**b**) miserabiliter extinctum. Quis dubitet, eos super filii corpus cecidisse, flevisse et lachrimasse et multis horis exspectasse, si forte revivisceret, et nunc huc nunc illuc corpus evolvisse. Non enim habebant adhuc experimentum crudelitatis mortis nec animam tam cito et faciliter a corpore separari aestimabant. Ideo usque ad putrefactionem corporis funeri assidebant. Ut autem viderunt, corpus paulatim corrumpi et dissolvi, ipsum in locum portaverunt plasmationis patris et ibi eum sepulturae tradiderunt.

De specu, in qua Adam et Eva multis annis cohabitaverunt et in qua Adam uxorem cognovit primo.

Super agrum ad meridiem est mons non magnae altitudinis, in cujus jugo hodie stat una muschea, quae in loco stare creditur, in quo Adam et Eva et filii eorum obtulerunt sacrificia et orationes Deo. Adam enim docuerat filios offerre Deo et adorare eum. In eodem loco, dum Cain et Abel simul adorarent et sacrificarent, descendit ignis de coelo et consumpsit holocaustum Abel, oblationem autem Cain non tetigit, quia Deo non erat accepta sicut munera fratris. Ideo invidit fratri et postea occidit eum. Insuper in eodem loco habuit Abraham patriarcham mausoleum suum et ibi altare erexerat, de quo dicitur Genes. XIII. in fine capituli: Vidit etiam ibi tres viros et unum adoravit, ut habetur Genes. XVIII. In alia enim parte montis est convallis Mambre, quae jungitur valli Ebron, propter quod convallis dicitur. Et haec conjunctio fit juxta civitatem Ebron, et in illa convalle habitavit, quando tres viros vidit in ostio tabernaculi sui et quando promissiones accepit a Deo, de quibus Genes. XV. et XVII. habetur. Sed quando immolare voluit, montem ascendit. Isaac etiam et Jacob patriarchae ibi habitavere. Demum a loco necis Abel reversi sumus in agrum Damascenum et per maceriam in parte occidentali egressi sumus ex eo et ad aliam partem vallis Hebron venimus et clivum montis ascendimus, in quo clivo unum antrum arctum et obscurum invenimus, quem successive

Ende

Anfang